



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Scientia Salvts, Sive Considerationes Piæ, Præcipuam  
Spiritualis Vitæ Materiam complectens**

**Laberhittel, Samuel**

**Ingolstadii, 1660**

221. feria 5. de subigendo proprio intellectu.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-59837](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-59837)

*Fer. 5. Domin. 7. post Pentecost. 399*

vero, curare in ipso actu orandi, ut intentio dirigatur non propter me, aut propter commodum amici, sed propter **DEVM**, quia ipse ita vult postulari.

**MEDITATIO CCXXI.**

*Feria 5. Domin. 5. post Pentecost.*

*De subigendo proprio intellectu.*

**V**idebo ignes fatuos, qui viatores in precipitia, & lacunas abducunt, quod præstat intellectus humanus sibi innixus. Petam intellectum subijcere principijs Evangelij.

*Conf. 1.* Quantum cæcutiat intellectus humanus circa seipsum; *Scimus, quia vehementer claudit oculus cordis amor privatus,* inquit D. Greg. hom. 10. in Ezech. Ideo principijs Evangelij, si errare non vult, subijciendus, Magistro D. **JESU**: quem rogabo, ut mihi det intellectum suum; tam enim profundæ sunt veritates Evangelij à Christo revelatæ, ut sapientissima Virgo, si verba ejus penetrare vellet, observaret, & ponderaret in corde suo; quia qui proprio sensu utitur, spoliatur se cœlestium aromatum sensu.

*Conf. 2.* Actiones mortificati intellectus sunt. 1. Ignaviam intellectus pellere, & res ad salutem, officiumque peragendum necessarias, diligenter addiscere. 2. Inutilia non investigare, quæque communem vitam agentibus

liberant



400 *Feria 6. Domin. 7. post Pentecost.*  
tibus utilia sunt, ea mihi ad perfectionem  
properanti inutilia judicare. 3. Utilia bonâ  
intentione scire, & ex majorum auctoritate  
investigare, & debito modo, ac tempore mihi  
parare. 4. Quæ non didici, non docere, ne in  
errorem inducam, sed magis me interrogan-  
tes ad doctiores remittere. 5. Omnes actio-  
nes meas intellectûs consideratio præcedat,  
hinc cognitum bonum faciam, malum fu-  
giam. 6. Vitam, & mores aliorum non ju-  
dicare, sed Deo ac Præsidibus judicanda, &  
inspicienda relinquere. Optabo, & petam:  
Da mihi hunc intellectum, &c.

MEDITATIO CCXXII.

*Feria 6. Domin. 7. post Pentecosten.*

*Quæ Scientia cavenda, & quæ  
amanda.*

**C**onstituam me coram **JESU** Magistro  
discipulus, ille loquatur, ego attendam,  
& quia simul Dominus est, flectam genua,  
Deumque internè, & externè adorabo, & pe-  
tam cavere, ne vel unicum doctrinæ salutis  
verbum mihi pereat.

*Conf. 1.* Cavendam scientiam carnalem,  
quæ est *superba*, & ambitiosa, quæ à principio  
discendi ad primas sedes, cathedras, pulpita,  
prælationes aspirat. Est *invida* laudis alienæ,  
condiscipulorum ingenio, & profectibus  
merens,